



**Loca Infesta,|| Hoc est:|| De Infestis,|| Ob Molestantes||  
Daemoniorvm Et Defvncto-||rvm Hominvm Spiritvs,  
Locis,|| Liber Vnvs.||**

**Thyraeus, Petrus**

**Coloniae Agrippinae, 1598**

**VD16 T 1247**

Cap. VIII. Qui ex Spiritibus hominum damnatorum facilius aut frequentius  
redeant ad viuos, ijsque excitatis tumultibus molestias pariant?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61332)

restitutionem illi apud hæredes vrgere meritò possunt; tum quòd omnibus bene velint, sed ijs in primis, quibus ipsi, quouis modo, peccati occasio ( vt his fit ) fuerunt; tum quòd hæc per hæredes facta restitutio aliquod ipsis in pœnis leuamen esse possit. De quo plura capite 79.

Quod verò hi Spiritus merito petere possunt, quidni identitatem permittit Deus Opt. Max. & quidem ipsis? Dei charissimis amicis? in rebus ( vt alieni est restitutio ) ad salutem maximè necessariis? cum magno sæpe eorum solatio & fructu, quorum bona ab iniquis possessoribus habentur? 9.

Atque hæc ex parte ipsorum Spirituum petitæ sunt causæ. Veruntamen quoniã ex Dei voluntate hic reditus maximè pendet, non negandum est, alias persæpè diuinam prouidentiam habere, cur eosdem reditus permittat, qui nunc ex viuorum, nunc ex alijs defunctorum rationibus petantur; nunc etiam in solam diuinam, mortalium generi occultissimam, prouidentiam referantur. 10.

Addo præterea, nec tantum robur recensitas à nobis causas habere; vt *semper* credi debeat talibus Spiritibus facultatem fieri ad viuos redeundi, eorumq; suffragia, excitatis tumultibus, implorãdi. Quemadmodum si his diuina clementia mouetur, vt reditum permittat, Spiritus defunctorum possunt gratias agere; ita si reditum neget, non habêt, quod conquerantur. fit Spiritibus gratiam, quod redeant; non fit iniuria, si reditus negatur. 11.

## CAP. VIII.

*Qui ex Spiritibus hominum damnatorum facilius  
ant frequentius ad viuos redeant, ijsq; ex-  
citatis tumultibus molestias  
pariant.*

**E**X peccatis hominum, qui horum Spirituum molestias patiuntur; peccatis item Spirituum, qui molestias afferunt; omnino reprehendi debet, Quinã Spirituum damnatorum hominum facilius frequentiusq; ad viuos redeant, & infesti sint. Et meritò, quoniam vel ipsorum Spirituum; vel viuientium peccatis tribuantur, quæ ab his molestiæ excitantur. 12.

Huius

2. Huius illud magnum argumentum est, quòd non facilè hęc Spiritus molestias attulisse deprehendes, quin vel Spirituum, obserues delictum aliquod; vel hominum, qui molestias sustinent, culpam. Sed hoc maius, quòd quāuis graue hisce Spiritibus sit inferni carcere concludi, vagarique malint; inuiti tamen ad viuos, vt ab ijs cognoscantur, redeant; & quotiescumque redeunt, in suam (si non aliorum) ad minimum pœnam, quæ peccato debetur, redeant.

3. Nec enim videtur vlla esse alia ipsorum reditus ad viuos causa. Ipsi, qui redeunt, sibi bonum non petunt, non petunt alijs, quibuscunque tandem sese exhibeant. Illi, quibus apparent, ipsorum præsentia non delectantur; molestias verò ferunt ægerrimè. An igitur alia de causa, quàm sua, vel viuentium culpa, viuos molestant?

4. Et vt fieri aliquando possit, quòd ob nullam suam culpam ferant molestias viui: quis credat, vt malū aliquod sustineant, quod non merentur, *defuncti*? Cedit ad viuorum emolumentum, si immeriti aduersa patiantur; at emolumentum nullum sperant hi defunctorum Spiritus. Quocirca si non viuentium, defunctorum saltem delicto tribuamus quod inuiti redeant.

5. Cæterum non *omnia* vel ipsorum, qui redeunt, Spirituum, vel viuentiū, ad quos redeunt, deccata, huius reditus sunt causa. Quid? An non omnes omnino Spiritus damnatorum hominum, redire necesse esset ad viuos, cū ipsorum nullus sit, quē non sua peccata ad inferos detruserint? Et ex viuorum genere quàm sunt multi, qui etiam grauibus se inuoluerunt peccatis; & tamen horum Spirituum molestias nunquam experiantur?

6. *Certa quedam peccata sunt, quibus hic cum molestia coniunctus reditus tribui debere videtur. Nec malè, tum quia rarius accidit; tum quia, cū singulare quoddam insolitumque vindictæ sit genus, singularibus quibusdam delictis, & non promiscuè quibusuis, ille decretus existimari debet. Atq; hoc insinuassee forsitan videtur Porphyrius lib. 2. de Abstinencia animalium. Nam cū de prauis & fallacibus Dæmonibus dixisset, mox hæc de animabus subdit. Tales, inquit, sunt & Anima defunctorum, qua vitijs oppleta è corpore migrarunt: conflictantur enim etiam tunc, ira & concupiscētia perturbationibus: & in naturā conuersæ Dæmonum, similes illorum redduntur: noxia ac turbulentæ in varias se vertunt formas: ac modò conspicuas se oculis præbent, modò recondunt: & ita eludunt aciem tum intuentium, tum etiam cogitantium.* Hoc Porphyrius.

7. Sed quæ ista peccata? Existimo horum alia ex ipsis molestantibus

bus Spiritibus; alia ex viuentibus, qui molestias patiuntur, esse petenda. Vtrique possunt quædam commisisse, quæ propter & illos conueniat redire, viuentibusque molestos esse; & viuentes horum molestias sustinere. Et *qua Spirituum defunctorum?* hæc prius indagemus.

Omnia, si generatim de iis loquamur, ad vnum genus, quo charitatis erga proximū iura enormius violantur, reuocari possūt: Si ad species descendamus, alia sunt, quibus officium, quod parentibus debetur, in grauem contumeliam est versum: alia, quibus viscera misericordiæ erga summa vel graui egestate laborantes claudia fuerunt: alia, quibus iidem oppressi sunt. Vt huius reditus rectè tria ferè genera peccatorum constitui debeant, *impietas, scilicet, erga parentes, induratum erga egentem proximum pectus, & grauis in subditos tyrannis.*

Et quidem exempla eorum, qui reuersi leguntur, magnam nostræ assertioni fidè faciunt: Sed tamen ratio, quàm hoc conuenienter fiat, clarius demonstrat. Primùm optimo iure hæc pœna damnatis hisce debetur. Deinde, vt mortales cognoscant Deum peccata, quibus in proximū grauius peccatur, iustissimè punire (vt hic punit) magnæ rationes probant.

Norunt omnes, quantum pietas erga parentes filijs cōmendata esse debeat. Norunt, quantum supplicium impijs omni iure constitutum sit. Cùm igitur defunctorum Spirituum graue supplicium sit ad viuos redire; quis dubitabit quin Deus hoc supplicii genere eorum peccata, qui *in parentes impij* fuerunt, vindicare iustissimè velit?

Ita misericordia indigni sunt, qui *misericordiam miseris negant*; & quibus possunt modis & commodissimè valēt, miseris egentibus non subueniunt; maluntq; cum Dei offensa in greges impudentiū canum, aut obscuros Lenones, expendere substantiam; quàm cum maximo animarum suarum lucro Christi membris egentibus conferre. sacrarum literarum auctoritate confirmata est sententia. *Iudicium illi sine misericordia, qui non prestunt misericordiam. Iacob. 2.* Et hi igitur hac vindicta digni.

Nec meliori loco *tertij illi* habendi sunt: quinimò hoc illorum conditio est deterior, quòd non solum miseris pro ratione suarum facultatum non subueniant, sed etiam miseros reddant miseres, & vulnera vulneribus, mala malis addant. Quorum vero aut par culpa est; aut etiam grauior; leuior erit pœna atq; supplicium?

Atq; quemadmodum horum, vt ita dicam, barbaries mere-  
tur,

E

tur,

tur, vt hoc supplicij; præter alia, genere vindicetur; ita conuenit; vt viuentes intelligant (intelligant autem hoc misero reditu) hæc eorum iusta supplicia. Sic re ipsa cognoscunt Deum legum suarum esse rigidum obseruatorem; vrgere charitatis leges; humanitatis leges erga proximos non violandas: non opprimendos pauperes; misericordiam miseris exhibendam.

14. Quæ diximus, Spirituum, qui redeunt, molestique sunt, sunt peccata. Aliquando non Spiritus in causa sunt: sed *viuentium* peccata merentur, vt infestationes Spirituum horum sustinere debeant. Et *que illa?* quibus vel *damnatis Spiritibus* culpæ, suppliciorumq; que sustinent, fuerunt *causa*; vel *summæ crudelitatis in damnatis* aliquando argumenta statuerunt.
15. An iniusta priorum vindicta? Iustissima. Cùm enim culpæ fuerint miseris socij; & suppliciorum, quæ grauissima patiuntur, quodam modo sint auctores; nonne conuenit, vt de his miseri sese excitatis, tum multis, alijsque rationibus, vt ita dicam, vlciscantur? & molestant, quos propter perpetuæ ipsis in inferno molestiæ sunt sustinendæ?
16. Sic nec posteriorum iniusta vindicta. Esto defunctorum delicta hunc reditum non mereantur; merentur tamen summæ crudelitatis viuorum in ipsos statuta argumenta, in quæ etiam his rationibus animaduertere solet Deus: vt quò pluribus rationibus charitatem, mutuumque amorem cupit mortalibus esse commendatum, eò pluribus vindictæ generibus (atque hoc imprimis reditu) intelligant omnes eundem offendi, si violetur.
17. Vtrorumque exempla proferre haud esset difficile. Sed quid opus? Plura à nobis primo nostræ præsentis Disputationis capitæ allata sunt. Non pauca etiam in reliqua Disputatione obseruantur. Nec desunt curiosis quotidiana, quæ ab alijs malimus obseruari, quàm à nobis hoc loco proferri.
18. Quocirca, vt quæ pluribus dicta sunt, contrahamus, quinque ferè Spirituum damnatorum hominum genera sunt, quæ ad viuos frequentius, faciliusq; redeunt, & molestias pariunt: sunt impij in parentes, sunt immisericordes, sunt pauperum oppressores, sunt miserè seducti, sunt crudeliter necati.
19. Et priores tres ob propria sua delicta redeunt, posteriores ob viuentium adhuc hominum. Quò fit, vt hi molestare desinant, si vita exceßerint illi, ad quos molestandos redeunt; illi certis hominibus alligati non sunt, possintque nunc his, nunc illis molesti

testi esse, prout diuinæ prouidentię visum fuerit. Verum de hoc plura in sequentibus.

## CAP. IX.

*Vtrum semper in propria persona adsint viuentibus Spiritus, dum molestias excitant.*

*Et ostenditur ex omni genere aliquando adesse.*

**D**obus modis intelligi potest Spiritus molestijs, quæ ab ipsis afferuntur, viuentibus adesse. videlicet vel autoprofopos, id est, in propria persona, vel heteroprofopos in persona aliena. Quemadmodum enim quis duplicem personam potest sustinere, propriam, vel alienam; ita potest vel propria vel aliena persona dici adesse, & se exhibere, atque molestus esse.

De Spiritibus igitur, qui molestias mortalibus afferre creduntur, quæstio est, vtrum quotiescunque rebus mortalium interfunt, molestique sunt, semper adsint in propria persona, & quæ fieri obseruantur, ipsi præsent; an non ipsi, sed alij ipsorum nomine, quidquid agitur, perficiant, qui ob id ipsorum personam sustinere & gerere dici possint.

Et quæstio est præcipua de humanis Spiritibus. De Damonibus res ad eò quibusdam est certa, vt in illam suspicionem venerint, per hos solos molestias omnes afferri; nullas per Spiritus humanos. Spiritus humanos ita suis locis esse conclusos, vt nunquam exire inde liceat. quocirca & semper illudi viuentium sensibus, quotiescunque sub humana, quam etiam norunt, Spiritus conspiciantur, aut molestent. Et sententia hæc nobiles authores habet teste Maldonato in 6. Lucæ. Nam Chrysostomus in Homil. vltima de Lazaro, aliisque nonnullis locis: Tertullianus in libro de Anima: & Athanasius, aut quisquis author est qq. ad Antiochum q. 11. & 13. & Isidorus lib. 8. Etymolog. cap. 9. & Theophylactus in 8. Matthæi, prorsus negant vnquam fieri reditus animarum defunctorum ad viuos. Sed & cur fieri non conueniat, multas rationes afferunt. Primum, id viuus utile non esse: qui si viuus non credunt, ne mortuis quidem credent, vt Abraham diuiti respondet. Deinde, quòd si etiam ipsis oculis damnatorum supplicia homines cernerent, nihilo se magis à peccatis abstinerent.

E 2

Quæstio